



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

Vinitor, Gerlacus

Coloniae Agrippinae, 1656

I. De defectibus in Celebratione Missarum occurrentibus, in genere.


urn:nbn:de:hbz:466:1-9459

§. 9. Transfert librum semper apertum ab vna parte ad alteram clausumque casu aperit iterum dum delatus est aperit, præterquam in principio Missæ.

§. 10. Si facienda sit communio in fine Missæ, genuflectit à latere Epistolæ, & ea peragit suprâ de communione præscripta. Factâ communione vasculum ad abluendos digitos præparatum semper Celebranti porrigit, deinde reddito ei bireto, ambo recedunt.

§. 11. Ne Clerici, aut scholares vel nuditate sua (quemadmodum in ætate passim semiuestitos pueros scholares, in hac Prouincia videre est) vel laceris aut immundis vestibus, sacrificio diuino aliquid decoris detrahant: vel longo superpelliceo induti sint, aut saltem honestè palliati.

§. 12. In moribus & pietate Clerici inservitores, ita sint instituti, vt non solum ipsi nihil faciant, quod offendere virum religiosum possit: sed & illos qui fortè irreligiosè astabunt, aut quidquam quod Christianam dedeceat pietatem agent: tanquam Angeli Dei altissimi sine vilo rubore, cum omni grauitate ac reuerentia sui officij admoneant, diligentissimè tamen cauentes, ne dum aliorum offensiones corrigunt, ipsi grauius offendant.



PARS TERTIA

RUBRICARVM,

Quæ defectibus in Celebratione occurrentibus remedia adhibet, titulis decem.

TITVLVS I.

De defectibus in Celebratione Missarum occurrentibus, in genere.

SAcerdos celebraturus, omnem adhibeat diligentiam, ne deficiat aliquid ex requisitis ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum. Potest autem defectus contingere ex parte materiæ cōsecrādæ, & ex parte formæ adhibendæ, & ex parte ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cū intentione, &

ne, & Ordo Sacerdotalis in conficiente, nō conficitur Sacramentum. Et his existentibus, quibuscumq; alijs deficientibus, veritas adest Sacramenti. Alij verò sunt defectus, qui in Missæ Celebratione occurrentes, etsi veritatem Sacramenti non impediunt, possunt tamen aut cum peccato, aut scandalo contingere.

ANNOTATIONES.

Hæc Rubrica optimè diuidit defectus in Missa occurrentes in substantiales & accidentales. Accidentales multi esse possunt, neque ad certum numerum reduci valent, substantiales in tribus contingunt, vel in materia, vel in forma, vel in intentione & potestate Ministri; Nam secundum omnium ferè Doctorum sententiam ad Sacramenti Corporis & Sanguinis Domini Iesu Christi, sicuti & omnium Sacramentorum consecrationem, requiruntur essentialiter hæc tria, videlicet, Materia debita, forma quaedam certa, & debitus Minister cum intentione; vno autem ex tribus deficiente, non conficitur Sacramentum; quia accedere debet verbum cum intentione ad elementum & fieri Sacramentum. Secundum illud apud omnes per vulgatum, S. Augustini testimonium.

S. Thomas 3.
pars. 4. q. 6.
60. art. 5. 6.
& 7.

S. August.
tract. 80. in
Iean.

TITVLVS II.

De defectibus materia.

Defectus ex parte materiae possunt contingere, si quid desit ex ijs, quæ ad ipsam requiruntur. Requiritur enim, vt sit panis triticeus, & vinum de vite: & vt huiusmodi materia consecranda, in actu consecrationis sit coram sacerdote.

ANNOTATIONES.

S. Thomas in
4. dist. 11. q.
2. art. 1.
Bonacina
disp. 4. q. 2.
puncto 6.

Iuxta hanc Rubricam, aliosque Doctores; materia consecranda debet esse sacrificanti moraliter præsens, ideoque materia non consecratur, si non sit coram sacerdote. sed à tergo, aut post interiectum parietem: aut sub